



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XL. De iis, quæ Vi Metúsve causâ fiunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)



# TITVLVS XL.

## De iis, quæ Vi Metusve causâ fiunt.

**I**udiciis hęc & sequentibus Titulis præmittimus remedia Extraordinaria, quibus Prætoris, à SS. Canonibus approbata æquitas quibusdam, Ordinarium remedium sive actionem de rigore Juris non habentibus, succurrit: eujusmodi imprimis sunt passi Vim Metusve.

### ARTICVLVS I.

#### De Vi Absoluta seu præcisa.

#### SUMMARIUM.

1. *Vis alia absoluta est & alia Conditionalis.*
2. *Absoluta resisti non potest.*
3. *Eâ extorta culpâ carent & valore destituuntur.*
4. *Vis ulterius alia Publica, alia Privata est:*
5. *Quarum illa cum, ista sine armis diversimodè inferuntur.*
6. *Vis species quinque sunt, Compulsiva, Expulsiva, Turbativa, Inquietativa & Ablativa:*
7. *Istâ & Expulsivâ ablatarum rerum quantitas probari potest Jurejuramentò,*
8. *Præviâ taxatione judicis præstandò ab Actore.*

9. *Quod juramentum etiam in aliis rebus dolò vel culpâ perditio locum habet:*
10. *Nititurque iustissima ratione.*

**V**Im JCTi duplicem statuunt: I. Unam Absolutam seu præcisam, alteram Conditionalem seu impulsivam: quarum illam præsentem, hanc sequentibus § §. exponemus.

Vis itaque, seu Violentia absoluta & præcisa secundum Paulum JCTum, est *Majoris rei imperus, cui resisti non potest.* 2. *Vis autem 2. ff. Quod met. causâ gest.* Aliis verbis, at eodem sensu Philosophus, *Vis seu Violentum, inquit, est, cujus principium est foris, in quod nihil is, qui agit aut patitur, confert.* 3. *Et hic cap. 1.* Sed potius omnibus viribus renititur; cum enim hujusmodi vis inferatur, aut quid eâ extorquetur, principium actionis aliunde & extrinsecus venit, neque ulla est voluntas patientis: sicut contingit, cum inevitabili violentiâ alicui eripitur liber, aut quid aliud extorquetur: cum inviti & reluctantis manibus imponitur thus, ex iisque excussum in subjectum ignem diis incenditur, aut virgini, animò & voluntate dissentienti & corporis etiam vitibus reluctanti, stuprum inferatur. Ubi Dubium est de honestate & valore actuum gestorum vi absolutâ. Cui an-  
G g g g fam præ-



sam præbet *l. Nihil consensui* 116. ff. de R. 7. vim metumque æquiparans: & quod sicut metu, sic etiam vi gesta rata non habenda, *l. 1. ff. Quod met. caus.* & in irritum revocanda, asserantur *c. Abbas 2. & c. Ad audientiam 4.* per sententiam iudicis, merò Jure valida, non ipsò Jure irrita rescindentis, *arg. l. In causa 16. §. 3. ff. de Minoribus.*

3. Verùm, quia hos textus omnes DD. de vi solummodo conditionali gestis exaudiunt; iis non obstantibus, absolutà & præcisà vi gestos actus ex parte istam passim, omni vacare culpâ & valore atque obligandi vi destitui, sententia TT. & JCT. um unanimi calculò approbata, ratiòque solida est; quòd, cum peccatum & culpa consistat in voluntate: & quod istà non consentiente meràque necessitate solàque extraneà violentià gestum est, istam passim nequeat imputari, id, quòd in & circa eum est gestum, culpæ poenæque reatu vacet & obligandi virtute destituitur. Confirmatur hæc ratio; quia voluntas propriè non in se sibi que propriis consentiendi & dissentienti actibus, sed in solis potentiis seu facultatibus suo imperio subjectis ab extraneà & creata vi cogi potest; ac proinde id, quod in homine invito ac dissentiente agitur, ejusmodi reatum & obligationem inducendi vi caret, juxta illud S. Augustini, *Corpus mulieris non vis maculat sed voluntas; tantum enim in mente valet integritas Castitatis, ut illà inviolatà neque in corpore valeat pudicitia violari, can. De pudicitia 6. & can. Ad Deum 7. in fine 32. q. 5. S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 5. & Azor p. 1. Institut. lib. 1. cap. 9. q. 3.*

4. Porro Vis & vis inter se differunt, *c. De muliere 6. de Sponsal. & matrim.* Ex variis autem ejus partitionibus celebriores sunt duæ. Una in Publicam & Privatam. Publicà olim tenebatur, qui

aliquâ potestate præditus civem Romanum antè ad Populum, postea ad Imperatorem appellantem necarit, necative jusserit, torserit, vulnerarit, condemnarit, vel in publica vincula duci jusserit. Privatâ autem, qui aliquem armatis hominibus possessione, domò, villâ, agrò dejecerit, expugnarit, obsederit, clauderit, idve ut fieret, homines commoderit, locarit: quive cum telo in publico fuerit, templa, portas, aliudve quid publicum cum armatis obsederit, cinxerit, clauderit, occuparit, *Isidorus Lib. 5. Etymolog. cap. 16. secutus Paulum JCT. um Sentent. lib. 5. tit. 26.* Alii publicam, quæ à publico Magistratu cuicunque, aut quæ magistratui à privato etiam sine armis inferitur; eam verò privatam dicunt, quæ privato homini inferitur à privato, *Decianus Tract. Criminal. lib. 8. cap. 1. n. 6. & Bruneman. in l. 1. ff. ad L. Jul. de vi public. num. 1.*

Hodie verò, qui cum armis vim inferit aut inferre tentat, paratve, de Publica: de privata autem vi tenetur, qui id sine armis facit, *§. Recuperanda 6. V. Quis autem Institut. de Interdictis & §. Item lex Julia 8. Institut. de Publ. judic.* Armorum autem appellatione veniunt non solum gladii, tela, sclopi & similia in armamentariis solita asservari sed fustes quoque, lapides & quodvis instrumentum quod ferire aut nocere potest, *§. Recuperanda cit. V. Armorum l. Armatis l. & l. Et qui ades 11. §. 1. ff. ad L. Jul. cit.* Unde de vi Publica hodie tenetur, qui ejusmodi instrumenta, non pro usu venaticis suave defensione in itinere vel na vigatione, *l. 1. & l. seq.* sed vis aut seditionis faciendæ causâ comportarit, aut homines armatos congregarit, *l. 1. cit. l. In eadem 3. pr. qui armis, aut cum armatis aliquem aggressus fuerit, pulsarit, vulnerarit, l. Qui dolo 10. §. 1. vel in castro, domive incluserit*



includerit, oppugnârit, comprehenderit aut fecerit, ut se obligaret, multoque magis, ut aliquid largiretur, *l. Qui caru 5. pr.* qui villas, domos effringere, expilare, incendere parârit, esto opere id non compleverit, multoque magis si compleverit, *l. In eadem 5. l. Hi qui ades pr. cit.* qui que his similia aut affinia attentârit, *citt. aliusque 11. ff. ad L. cit.* Vis autem privatæ crimen committit, qui sine armis ex naufragio dolô malô aliquid rapuerit, *l. 1. §. 1. creditor, qui sine iudicis autoritate rem debitoris rapuerit, in eamve intrârit, l. Creditores 7. 5. l. fin.* qui homines non armatos convocârît, aut concurrerit ad aliquem verberandum, pulsandum &c. *l. Hac lege 2.* qui aliquem ex prædio suo eiecerit, aut quidpiam ex eo avexerit, licet pulsatio facta non sit *l. Si quis aliquem 5.* qui concursum fecerit, ne quis in jus produceretur, *l. Lege 4. 5. ff. ad L. Jul de vi privata.* Quamvis autem sine armis vis publica hodie non committatur, ejus tamen reus & pœnis obnoxius est, quicumque fœminam puerumve aut quemvis alium per vim stuprârît: & qui puerum aut juvenem ingenuum rapuerit, aut verberibus ad Summum periculum afflixerit, *l. In eadem cit. §. 4. 5. l. Et eum 6. ff. ad L. cit. de Vi publica:* cujus & privatæ quoque vis accuratiorem explicationem, & in utriusque commissæ reos constitutas pœnas, cum Interpp. ad *L. cit.* & DD. aliis dabunt Decianus *Traçt. Criminal. lib. 8. à cap. 1.* Menoch. *de Arbitr. casu 394. à n. 2.* & Molina *Traçt. 2. de J. 5. J. disp. 682. à n. 3.*

6. Alterâ partitione Vis quinque species, scilicet Compulsiva, Expulsiva, Turbativa, Inquietativa & Ablativa statuuntur à Glossa in *c. Ad audientiam 4. V. Causa.* Compulsivâ quis compellitur ad aliquid faciendum, vg. rem suam tradendam, debitorem liberandum: quod non

faceret, si externa vi non urgeretur, quæ vis etiam Conditionalis nuncupatur, indémque est quod metus, vel hunc inducit. Expulsivâ quis expellitur, seu vi deicitur rei immobilis & isti adharèntium possessione: adversus quam Jure proditum est Unde vi Interdictum. Turbativâ quis in possessione sua turbatur ab alio, se possidere contendente: adversus quam *Uti possidetis* pro immobilium eique cohærentium, & pro mobilium possessione retinenda *Utrubi* competunt Interdicta. Inquietativâ quis re sua quietè uti in eâve aliquid facere, vg. fundum colere in eâve ædificare non permittitur, eoque invitò aliquid agitur, vg. ædificium extruitur ab alio: quæ violentia *Quod vi aut clam* Interdictum inducit. Ablativâ mobile quid alicui eripitur & auferitur: quam vim passo *Vi bonorum raptorum* Actione succursum est, Glossa *citt.* Panormit. in *c. cit. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 1.* In hanc actionem in judicio propositâ, & in Unde vi Interdictum

Dubium aliquando incidit de probatione quantitatis vel æstimationis rerum ablatarum & damni illati, vg. an Titius, domo suâ vi dejectus, aut pecuniâ, mercibus, aliisve rebus mobilibus spoliatus, ablatarum rerum quantitatem aut æstimationem probare valeat per juramentum, si violentæ occupationis & despoliationis tempore nemo fuit præsens & quorum depositionibus de illa fides in judicio fiat, atque aliarum probationum copia desideretur. Cui casui accommodatum Zenonis Imp. *l. Si quando 9. C. Unde vi* & huic conforme Gregorii IX. spoliatoribus adversus judicem, qui ipsos, spoliato singula, quæ amisit, non nisi proprio juramento probante, condemnârat, conquerentibus redditum, & *c. fin.* relatum rescriptum est, *Postquam de violentia per testes, & de amissis rebus per ipsius*

G g g g 2



ipsius spoliati consistit sacramentum, potuit iudex taxatione ab ipso facta, pro personarum & negotii qualitate eos in aestimatione rerum amissarum, juramentum adversari declarata, rationabiliter condemnare.

Quare, secundum Apostolicum hoc & l. cit. relatum Imperiale rescriptum in proposito casu ante omnia violentiam illatam, si notoria non sit, probari necesse est per testes, etiam domesticos & familiares, hoc casu in defectum aliorum ad mittendos, hisque deficientibus per indicia, violentam presumptionem inducentia, Glossa in l. cit. V. Patefacta & in c. cit. Panormit. n. 2. & Laiman n. 1. Cum ita de vi illata fides facta est, iudex, spoliato super rerum ablatarum quantitate vel aestimatione prius auditò, istam si, ut frequenter solet, immodica appareat, taxatione sua moderandò ad certam, quæ spectatis rerum circumstantiis justa videbitur, quantitatem reducet; ut, si actor pauper pretiosam suppellectilem auream sibi ablatam, vel si expulsionis & dejectionis locus ita exiguus sit; ut ille tam pretiosa habere, vel iste exposita quantitas bona admittere verisimiliter nequeat, à iudice petita rerum ablatarum quantitas vel aestimatio ad minorem eamque reducatur, quæ personæ vel loco congruere videtur, ut colligitur ex c. cit. verbis *Pro personarum & negotii qualitate*, Glossa in c. cit. V. *Pro personarum* Donell. in l. Si quando cit. in fine & Gonzalez in c. fin. cit. n. 8. in fine. Reductione ita facta, super taxata, non majore vel minore, quantitate actori spoliato iudex deferet juramentum, c. cit. & l. Videamus 4. §. 2. ff. De in lit. jurando: quò præstitò actori spoliato reum sive spoliatorem condemnabit ad eam quantitatem vel aestimationem, super qua est juratum: non ad majorem vel minorem; ne illum ad minorem con-

demnandò spoliatum perjurii: vel sententiam iniustitiæ arguat, spoliato ad iudicandò majorem, ut Lib. 2. tit. 14. n. 27. & Tit. 24. n. 10. dicitur.

Atque hæc, sicut in rebus ablati per vim & quodcumque maleficium, ficticiam in re debita, si ob moram debitoris interiiit, l. fin. ff. De in litem jurando: in rebus sub sigillo depositis & sine sigillo repositis procedunt; nam & in his, si de furto, mora, sigilli remotione legitime constet, & rerum amillarum quantitas vel aestimatio aliter nequeat probari, super ea damnum passo juramentum deferri posse, cum Panormit. in c. fin. cit. n. 4. & 7. docent Laiman in c. cit. n. 3. in fine & aliis relatis Bruneman, in l. Si quando cit. à n. 6.

Processus tamen iste primò occurto difficilis videri potest, partim; quòd nemmo in sua causa iudex aut testis idoneus sit, l. Unic. C. Ne quis in sua causa jud. & l. Nullus 10. ff. & C. de Testibus. Proposita autem procedendi ratione huius finis imponatur juramentò actoris rebus suis spoliati, de controversia quodammodo pronuntiantis, aut saltem de quantitate vel aestimatione sibi adjudicata deponentis: partim verò; quòd ad jurandum admittatur actor, alterius probationis omnimodò destitutus: absurdum autem sit, cum quis aliam probationem omnem desperarit, tum demum ad jurisjurandi Religionem, convolare l. Si quis 11. ff. C. de Reb. credit.

Sed tuenda & modis omnibus comprobanda est, adversus alienarum rerum violentos invasores Imperiali adinventa & Ecclesiasticò Jure firmata ratio procedendi; cum eà adversus facinorosorum hominum improbitatem non solum vim atque injuriam passis privatis; sed publicæ etiam tranquillitati fuerit prope-ctum, itaque eis prospiciendâ ratio pe-



stissima sit; cum odiô rei, qui vim inferendô Rempublicam perturbare temere ausus est: tum verò exposcente necessitate probationis: cuius aliunde deficientis inopiâ vim atque injuriam passus actor, si ad juramentum super rerum ablatarum quantitate & æstimatione præstandum non admitteretur, jacturam & irreparabile damnum saepe pateretur.

Neque, re verè æstimata, hunc procedendi modum difficilem reddit contra eum deductarum rationum prior; quia ipsa violentiæ notorietas & probatio, odiûmque spoliationis & spoliati miseria justissimam causam præbent admisioni ad juramentum; ne delictum maneat impunitum, & probationis aliunde deficientis inopiâ in rebus suis detrimentum patitur innocens: & nocens seu violentus invalor ex iniquitate sua lucrum reportet. Minus urget posterior; quia ex eadem notorietate & probatione violentiæ orta præsumptio alterius probationis & adminiculi locû est; ut, sicut is, qui intentione vel exceptione suam probavit semiplenè, *c. fin. §. Sanè de Jurejurando*, sic etiam passus vim, cum de ista legitime constat, ad juramentum super rerum ablatarum quantitate vel æstimatione, iudicis taxatione ad æquitatem reductâ, præstandum admittatur, ut ad *cit. Tit. 24. n. 20.* statuetur.

## ARTICULUS II.

### De Vi Conditionalis seu Metu.

#### SUMMARIUM.

11. *Definitio Metus:*
12. *Qui à causa necessaria vel libera, justè injussteve,*
13. *Ad actum extorquendum, vel aliò sine inferri potest.*

14. *Metus alius Gravis, alius Levis est:*
15. *Quorum ille magni,*
16. *Quod minitans illaturus judicatur:*
17. *Isse minoris mali intentione inferatur.*
18. *Metum Reverentialem gravem esse, quidam affirmant:*
19. *Verius alii negant:*
20. *Nisi vultus aut verborum asperitas importuna preces & similia,*
21. *Ad gravem metum inducendum alicui non sufficientia, accedant.*
22. *Gravis metus est, quicumque passum graviter perturbat,*
23. *Arbitrio iudicis prudentis.*

**V**is Conditionalis & Impulsiva dicitur illatio Metus: qui secundum Ulpianum est mentis trepidatio instantis seu mox futuri periculi causâ, *l. 1. ff. Quod metus caus. gest.* sive passio & motus animi, imminens aliquod malum fugientis; ut, si quis librum petenti & si non det, mortem minitanti illum tradat, itave aliquid promittat. Quò casu & quoties ad imminens, quod timemus, malum evitandum aliquid agimus, licet id, quod movet & impellit, extra nos plerumque sit, principium tamen actionis est in nobis violentibus & agentibus id, quod nollemus & non ageremus, si imminens mali periculum abesset. Unde Metus voluntarium ac liberum non tollere, sed solummodo diminueret; & coacta voluntas esse voluntas dicitur, *l. Si mulier 21. §. 5. ff. Quod metus causâ gest.*

Provenit autem Metus quandoque à causa necessaria, v.g. à morbo, periculo naufragii vel alio simili principio Naturali: quandoque à libera, ut si ab homine incutiatur. Ab ista rursus aliquando justè, aliquando injustè inferitur. Justè inferri dicitur, cum, qui eum patitur,

G g g g g

titur,



- titur, ei suâ improbitate causam præbuit, vg. committendô flagitium, propter quod carceris, torturæ aut pœnæ legitimè infligendæ timore angitur: injustè verò, cùm innocens & nihil mali promeritus alienâ, mortem, mutilationem vel aliud malum minitantis, improbitate vexatur: aut, cùm ei causam præbuit, ita vexatur indebitè, & contra Jus, vg. à privato ejusmodi malum aliquod minitante, *arg. c. Veniens 15. de Sponsal. & Matr. & l. Nec timorem 7. §. 1. ff. Quod metus*
13. *causâ gest.* Hujusmodi autem malum aliquando eò fine; ut promissio contractûs vel alius actus extorqueatur: aliquando aliò fine intentatur: quantumvis, qui metum patitur; ut malum sibi intentatum evitet, ad promissionem, contractum, vel alium actum, tanquam ejus mali depellendi medium, eligendum inducatur,
14. Porro metus, à quacunque causa incussus, famigeratâ & apud JC I. os pariter & TT. receptâ partitione, alius Gravis, alius Levis nominatur.
- Gravis sive justus &, ut tritâ phrasi eum laudato Ulpiano *l. Metum 6. ff. hic eum nuncupamus*, in virum sive hominem constantem cadens metus est, qui patientem ita movet & percellit; ut eum, tametsi aliâs fortis & constans sit, à proposito valeat dimovere: ad quem Metum tres conditiones à DD. requiri solent.
15. Prima est, ut sit *majoris malitatis*, ut dicitur *l. cit.* id est, mali gravioris, puta mortis, mutilationis sive amputationis alicujus membri, atrocium verberum vel corporis cruciatûs, *c. Cùm dilectus 6. l. Continet 3. l. Nec timorem 7. §. 1. ff. l. Si per vim 4. & l. Si donationis 9. C. vinculorum sive carceris diuturni, exilii, captivitatis, servitutis sive amittendæ libertatis, l. Ego 4. l. Nec ti-*

*morem 7. §. 1. cit. l. Ipsi 8. §. 1. & l. Qui in carcerem 22. ff. Rubr. cit. stupri intercedi; cum probis istius major quàm ipius mortis sit metus, l. Ipsi cit. §. 2. amissionis statûs honorifici, Gloâ in c. cit. V. Metum, amissionis fortunarum sive honorum omnium vel majoris eorum aut valde notabilis partis, magni patrimonii; cùm enim bona quodammodo vita hominis sint, l. Advocat. 14. junctâ Gloâ V. Vitam G. de Advocat. divers. judic. eorum jactura morti aliquò modo æquiparatur, Tiraquell. de Nobilit. cap. 31. n. 369. infamæ Juris, l. Nec timorem cit. §. 1. aut etiam Facti, si gravis sit, et que faciliè occurrere non possit; quia *Molius est nomen bonum, quàm divitiæ multa*, Proverb. cap. 22. v. 1. & propterea à multis, sicut istarum, sic etiam bonæ famæ jactura morti æquiparatur, *arg. l. Justa 9. ibi, Si periculo vita sumatur ff. de Manumiss. vind. excommunicationis injurtæ; cum omnium, quas Ecclesia habet, gravissima pena sit, c. Cùm non ab homine 10. de Judicis, infamiam notam afferat apud eos, qui injuliam ignorat; & propterea merito maximo perire sit timenda, can. Sententiam 11. q. 3. Azor cit. cap. 10. à q. 3. & Sanchez Lib. 4. de Matr. disp. 4. n. 17.**

Neque refert, an hujusmodi malum aliquod quis sibi, vel uxori, liberis aut parentibus, *l. Ipsi cit. §. fin. & licet cundum aliquos etiam fratribus, sororibus: imò etiam personis aliis sanguine vel alia valde arctâ necessitudine connectis vereatur, arg. l. cit. Anchoranus in c. Cùm dilectus cit. n. 7. Francus in c. in 6. n. 8. & aliis DD. relatis cit. Sanchez disp. 4. n. 8.*

Secunda conditio ad gravem metum requisita est, ut eum incutiens facile valeat, & executurus judicetur minas ejus vel alterius mali similis illi, quod est mi-



est minatus: aut saltem, quod minatur, executurus ex circumstantiis rationabiliter existimetur, Pontius *Lib. 4. de Matr. cap. 2. n. 8.* & Palao *Tract. 2. disp. 1. p. 7. n. 4.*

Tertia, ut metum patiens ejusmodi mali magnam habeat æstimationem: & id difficulter, aut omnino non avertere possit vel evitare, *l. Non est 23. pr. ff. hic*, ut iidem docent.

17. Levis, sive improbabilis &, ut passim DD. loquuntur, in constantem virum non cadens metus est, qui eam vim non habet; ut patientem animò fortem à proposito valeat dimovere; quòd fit mali non magni v.g. objurgationis, levis jacuræ: vel magni quidem, sed quòd homo etiam parùm potens v.g. puer, femina, imbecillis senex id intenet: vel, etiam, si mali magni sit, intentetur ab eo, qui minas non executurus existimatur, quòd verbis minas intentare & ponere, malumque, quod verbis comminatus est, factò non exequi solitus sit, ut iidem docent.

Non desunt, qui gravis mali comminationem, ad gravem & in constantem virum cedentem metum inducendù, non sufficere, asserant: nisi minis intentatum aliòdve grave malum, qui minatus est, solitus fuerit inferre; quòd ex rescripto Imperiali, *Metum non iactationibus tantùm vel contestationibus, sed atrocitate facti probari conveniat*, *l. Metum 9. C. De his, que vi metûsve, ut ibi voluit Bartolus n. 1. Salycet. n. 2. Panormit. in c. Causam 17. de Offic. deleg. n. 5. Covarruv. p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 6. n. 4. cit. Sanchez disp. 1. n. 21.* & apud hunc alii. Verùm, esto, gravis metus non inducatur comminatione factâ ab eo, qui malum, sicut minitari, sic non inferre minasque non exequi solitus est; quòd tali casu non ja-

ctationes & verbosæ contestationes, sed deficiens facti atrocitas sit attendenda: ad gravem tamen metum inducendum necessarium non est; ut malum, quod minitandò verbis intentat, exequi solitus fuerit: sed sufficit, quòd ejusmodi malum verbis seriò intentatum, idque qui minatus est, exequendi animum habere, & executurus existimetur: licet eum minas exequi aliàs solitum ignoretur; cum utique gravis & in constantis animi hominem cadens sit metus mortis, nisi, quod præcipit, exequaris, minitandò intentatæ à viro forti & armato, de quo an minas aliquando executus, aut etiam alicui minatus sit, ignoratur, Pontius *Lib. 4. de Matrim. cap. 2. n. 8.* & Palao *Tract. 2. disp. 1. p. 7. n. 9.*

Dubium est, an gravis & in constantem virum cadens sit metus, quem vocant *Reverentialem*, ut esse cenletur filii, uxoris, subditi respectu patris, mariti, domini, superioris; eum enim pro gravi cum Glossa *in can. Unusquisque 8. V. Saltantium 22. q. 4.* Imola *in c. Causam cit. n. 8.* & Bartolo *in l. Qui in aliena 6. §. fin. ff. de Acquir. hered. n. 5.* habent Navarrus *ad hanc Rubr. Consil. 10. n. 4.* & Menoch. *de Arbitr. casu 136. n. 8.* & contra pro gravi metu habendum, cum Glossa *in c. 1. V. Consentit de Despons. impub. Panormit. in c. Causam cit. n. 5.* & Interpp. alii negant Sylvester *V. Metus n. 2.* Covarr. *cit. §. 6. n. 6.* Gutierrez *de Jurament. p. 1. cap. 1. n. 15.* &, plurimis DD. congestis, *cit. Sanchez disp. 6. n. 7.* Moventur in utramque partem Jure & ratione.

Et illi quidem ex Jure allegant *l. 1. ff. Quorum rer. act. non dat. l. Cum quis si sciret 91. ff. de Furtis & l. Velle 4. ff. de R. I. quorum textuum primi §. 5. Metui & nimia Reverentiæ in patrem eadem vis tribuitur ad cogendum: Alterò ei, qui vi.*

18.



qui visò furtò ob magnam verecundiam tacet, furtum fieri asseritur; quòd ob ejusmodi verecundiam gravi metu & in rei ablationem non nisi coactè consensisse, intelligatur; ac proinde furti agere valeat: postremò, *Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini.* Rationem reddunt; quòd, si reverentia in talem personam non sufficeret ad inducendum metum gravem & cadentem in constantem virum, sed ad hunc inducendum necessarius esset accessus minarum, ulla differentia non esset inter metum ejus, cui debetur reverentia, & cujuscunque extranei; cum à quocunque facta gravis mali comminatione gravis & in constantem virum cadens metus inducatur; & iste non inducatur, si mali comminatio absit.

¶ Isti verò ex eodem Jure adducunt Imprimis textus *can. Puella 20. q. 1. & c. Ex litris 11. de Despons. impub.* quorum utroque puella metum passa non censetur ex sola reverentia: sed priori; quòd coacta imperiò parentum: posteriori; quòd eorum minis fuerit impulsiva: deinde *c. fin. Qui Clerici & Vovent.* ubi relatus Innocentius III. pro valido habet votum, à puella emissum præceptò Regiò & parentum, reverentià debità Regiò & parentibus non obstante: *c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* quò loco pactum renuntiationis, factum in favorem patris, ratum habetur, si juramentò nec vi, nec dolò præstitò fuerit firmatum, non obsecurò indicio, ultra reverentiam patri debitam vim dolúmve accedere oportere, ut juramentum, quasi gravi metu præstitum, infirmum reputetur; & demum *l. Fidejussor 26. ff. de Pign. & hypoth.* cujus §. 1. filius, quòd mandante patre fecit, metu fecisse negatur, non obstante ad mandatum reverentiæ accessione. Rationem etiam ipsi reddunt; quòd sola

reverentia patri, marito, domino debita tanti momenti non esse videatur; ut constantis animi hominem graviter percellat.

Ex duabus his Opinioniibus præferendam cenfeo posteriorem: atque, ut metus Reverentialis contractum aliterve actum, tanquam gravi & in constantis animi hominem cadente metu gestum, nullum aut infirmum sive rescissioni obnoxium reddat, ultra filii, filiarum, uxoris vel subditi pudorem & reverentiam considerari existimo asperitatem vultus, indignationem, exprobrationem, malam tractationem, rixas, aut talium subditorum rationabilem existimationem, vel importunas & repetitas preces; sed propter deductos aliòsque similes roboris inde accedit; quòd, si ad gravem & in constantis animi hominem cadentem metum inducendum sufficeret solus pudor & verecundia, quam pati quis timet, si consensum neget, à liberis, uxore, subditis initi contractus & actus alii plerique invalidi aut rescissioni obnoxii forent; cum gravi metu se impulsos facile probarent asserendò, se ob reverentiam sive pudorem & verecundiam neppure aut contradicere non aulos: quòd alienum est à communi sensu, & à Jure etiam, filii aut filia in sponsalia, solum præsentium nomine à parentibus contracta, consensum liberum ac spontaneum desumente ex sola illorum taciturnitate, *c. & §. fin. de Despons. impub. in 6.* pudore & verecundià non obstantè.

Neque, solà reverentià gravem & in constantis animi hominem cadentem metum induci, persuadent *ll. citr.* Prima; quia ejus §. 5. hujusmodi metum inducendi vis tribuitur Reverentià in patrum non cuiusvis, sed nimis, sive immodicæ & excessivæ; quòd conjuncta fuerit



fuerit cum alterius mali minis vel existimatione, Zoefius *ad hanc Rubric. ff. n. 12.* Secunda, sive *l. Cum se sciret*; quia eâ agitur de consensu tacito seu præsumptio, qui refultat ex taciturnitate: & ex ista in actu naturâ suâ præjudicio ac nocivo regulariter non præsumitur in eo, qui reverentiam debet; quòd præsumptio consensus orta ex taciturnitate cedat præsumptioni contrariæ, ex reverentia ortæ, tanquam fortiori, Duarenus *in ff. ad hanc Rubr. cap. 1.* Tertia, sive *l. Velle cit.* quia eâ comprehensa Regula ita exaudienda est; ut, quod filius aut servus agit imperiò patris vel domini, his potiùs obsequendi studiò quàm suò impulsu fecisse, intelligatur: non tam; quòd coactus, quàm; quòd imperantis voluntati obsequendi studiò ductus id fecerit; atque idcirco quod patris vel domini imperiò factum est, istis potiùs quàm filio aut servo imputetur; quòd hi ratione patriæ vel dominicæ potestatis parere habuerint necesse; & propterea in delictis non atrocibus eis indulgeatur, *l. Ad ea, que 157. ff. de R. L.*

21. Minus quàm textus urget ratio; quia, licet ex sola reverentia ortus non gravis, nonnullus tamen & levis saltem est metus, qui gravis evadit, si accedat vultus torvitas, indignatio vel asperitas verborum, precum importunitas & similia, ad metum gravem inducendum aliàs non sufficientia in persona, qua reverentiam non debet.

22. Duo hoc locò DD. passim & rectè observant. Prius est, an metus gravis aut levis sit, saltem in ordine ad voluntarium magis aut minus diminuendum, ex qualitate non tantùm mali, secundùm se spectati: sed etiam personæ id inferentis, & præsertim patientis defumendum; quia utique feminam, puerum, aut senem leve malum sæpe magis movet &

perturbat, quàm fortè animo virum aut juvenem majus, Navarrus *Manual. cap. 22. n. 51.* Menochius *de Arbitr. casu 135. n. 4. & cit. Sanchez disp. 1. n. 21.* Posterius, an idem metus gravis aut levis sit, in dubio relinqui arbitrio iudicis & prudentum, ponderantium tantùm ipsius mali, quàm personarum hoc intentantium & patientium qualitatem, ut colligitur ex *l. Metus 3. ibi, Sed hujus rei disquisitio iudicis est, ff. Ex quibus causis major, Glossa in c. Cum dilectus cit. V. Metum, Panormit. in c. cit. n. 80 Sylvester V. Metus q. 1.*

### ARTICULUS III.

## De Actuum Metu gestorum Valore & Firmitate.

### SUMMARIUM.

24. *Gesta metu levi in Foro externo firma sunt.*
25. *In interno ea rescindi aliqui negant.*
26. *Melius alii affirmant.*
27. *Quin eò lapsa Ecclesia aliquando succurrit in externo.*
28. *Firma sunt gesta gravi metu à causa necessaria.*
29. *Et à libera justè incussò.*
30. *Interest, an actus jure irritus sit, vel irritandus.*
31. *Extorta metu injustè valida.*
32. *Sed obnoxia rescissioni sunt.*
33. *Sive jus sive ratio spectetur.*
34. *Sive metus ad ea extorquenda.*
35. *Sive aliò sine.*
36. *Etiam ab aliquo tertio.*
37. *Et materialiter solùm injustè.*
38. *Etiam sine animo malum inferendè fuerit incussus.*

H h h h

39. Fi.



39. *Fide, jussu tamen, incussu metu expressa firma sunt.*

24. **C**onvenit inter melioris notæ DD. primò, validos esse actus gestos metu levi, à quacunque causa, etiam libera justè, & injustè quoque incusso; quia irritati non sunt Jure Naturali; cum sint voluntarii & liberi; neque etiam Positivò; cum hòc Jure, qui levis est, Metus vel non reputetur vel non consideretur, *l. Constat 3. §. 1. u. Metum 5. §. 6. l. Nec timorem 7. pr. ff. §. c. Cum dilectus 6. hie,* ut ad eò ei, qui tali metu contraxit, aut aliud quidpiam gessit, Actio, dicta *Quod metus causa*, ad litium, curias & judices obruentium, multitudinem evitandam, Jure denegetur, *u. §. c. cit.* Glossa *fin. in c. Unic. in 6.* ubi Francus *in fine*, Covarruv. *in Reg. Peccatum p. 2. §. 3. n. 7.* & Lessius *de I. & I. cap. 17. n. 46.* Unde

25. Dubium nascitur, an levi & instantem virum non cadente metu obtenti contractus & actus alii validi firmique etiam sint in foro Conscientiæ interno; nam & hoc cum Medina *Cod. de Restitutione q. 3. causa 9.* negat Pontius *Lib. 4. de Matrim. cap. 10. n. 5.* Moventur primò; quòd metus levis sit in potestate patientis, ab eoque repelli facile possit; atque idcirco, si non repellatur, eò gestus actus, sicut in externo, sic & in interno foro validus ac firmus esse debeat; cum *Vani metus ulla excusatio non sit, l. 184. ff. de R. l.* Secundò; quòd forum internum externo conformetur; quando hoc non innititur falsæ præsumptioni: tali autem præsumptioni forum externum non innitatur, hòc ipsò; quòd, levi metu etiam cognitò, Metus tam exceptionem quàm actionem denegat levem duntaxat metum passis. Tertiò; quòd, cum metus levis in foro interno

non irritet matrimonium, eò incussò obtentos contractus alios firmos in eodem foro esse oporteat; cum enim major libertas ad matrimonium quàm ad contractus & actus alios Jure exigatur, *c. Cuius locum 14. pr. c. Veniens 15. Et. de Spon. sal. §. matr. metus*, qui in foro illo non impedit valorem matrimonii, in illo etiam non obstat contractuum & actuum aliorum firmitati.

Sed verius est, actus, gestos metu levi, ita firmos non esse in foro conscientiæ interno; ut, licet in externo foro et tali metu ad contractum aliorumque actuum rescissionem nec deur actio, neque ejus exceptio admittatur: in foro tamen interno is, qui tali metu contraxit, contractum promissa præstare non tenetur, & ad restitutionem ex eo acceptorum obligetur, qui contractum tali metu extorsit, ut *in c. Verum 15. de Jure jurando* notant Panormit. *n. 3.* Joann. Andr. *n. 6.* Alex. de Nevo *n. 7.* eòsque secuti Sylvester *V. Metus n. 12.* Sotus *n. 4. dist. 29. q. 1.* Navarrus *Manual. cap. 17. n. 5. §. 15.* Covarruv. *in Reg. Peccatum p. 2. §. 3. n. 7.* Molina *Trañ. 2. de I. & I. disp. 267. n. 5. cit.* Sanchez *disp. 9. n. 4.* & alii docent. Ratio est; quia metu etiam levi contractum aliorum actuum extorquens secum contrahenti aut aliud agenti infert injuriam, quam passus refarcire, idque, quod ab eo acceptum, restituendò, eum in pristinum statum reducere tenetur: & contra, metum illum passus contractum implere in conscientia non tenetur: licet ad excludendas lites in externo foro neque actionem habeat neque exceptionem. Quod confirmatur paritate cum eo, qui secum contrahentem infra justii pretii dimidium læsit: qui pretii defectum suppleat, vel rescissò contractum, quod accepit, restituere in conscientia tenetur: licet, ad eandem



item litium multitudinem excludendam, ab ipso ita læsus neutro Jure Civilem actionem habeat vel exceptionem, *l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vendit. c. Cum dilecti 3. C. c. Cum causa 6. de Emp. C. vendit.*

Neque, metus levis ullam considerationem in foro quoque interno non esse, evincunt in eam rem deducta momenta rationum.

Primum; quia, esto talis metus facile potuisset repelli, injuria tamen illò illata est metum passio: cui, licet in foro externo, quietis publicæ lites averfantis intuitu, Metus actio & exceptio denegetur, præsidio tamen est internum, ex Juris Naturalis dictamine, metum inferentem obligante ad injuriæ remotionem.

Alterum; quia internum cum externo foro nihilominus satis conformatur; cum externum propter commune bonum quietis publicæ solummodo denegat actionem & exceptionem Forensem, sive ejus, quod acceptum est, recuperationem & actus rescissionem, faciendam autoritate ejus, qui præest jurisdictioni: quâ viâ & autoritate metum passio succurri, forum internum non præcipit: sed ad restitutionem ac rescissionem solum obligat in conscientia: à qua obligatione is, qui metum intulit, non absolvitur in foro externo. Accedit; quòd in hoc etiam foro metum passus omni auxilio non destituatur; cum levi metu illato læsus, licet non habeat Civilem actionem & exceptionem Metus, implorare tamen officium judicis Ecclesiastici, & hic ei in metum inferentis odium ex officio succurrere valeat: & ne v.g. promissarius illati metus autor ex injuria & improbitate sua commodum reportet, contractum rescindere, ut *in c. Cum dilectus 6. cum Glossa V. Metu Panorm. n. 9. Anchoran. n. 2. Bartol. in l. Metum 6.*

*ff. Quod met. causa gest. ad finem, & alius docent Lessius Lib. 2. de I. & I. cap. 17. n. 49. cit. Sanchez n. 5. & Palao Tract. 2. disp. 1. p. 12. n. 4. ad 2. quòd metu etiam levi injustè incusso ad promittendum inducens, id quod promissum est, exigere &, quod est acceptum, retinere sine peccato non possit, Laiman in c. cit. n. 4.*

Postremum; quia metus, qui non impedit valorè matrimonii, non impedit valorè & firmitatem Forensem actuum aliorum. Quod autem in foro Conscientiæ actus alii, non etiam matrimonium rescindatur, provenit ex illius semel validè contracti insolubilitate, *Matth. cap. 19. v. 7. quæ tamen ipsa, sicut matrimonium rescindi non permittit, sic non impedit, quò minus is, qui metu levi matrimonium extorsit, eum passio injuriæ aliâ, quâ potest, ratione refarcire in foro interno teneatur.*

Convenit secundò, validas esse, nec rescindi promissiones aliòsque actus, gestos metu etiam gravi, incusso à causa naturali, ut patet ex Vocis & Juramentis promissoriis, editis timore mortis in gravi infirmitate vel tempestate: & ratio est partim; quia causa, ob quam actus metu gesti irriti sunt, aut rescinduntur, non est defectus voluntarij, cum hoc metus non tollat: sed injuriæ eum passio illata, quam non patitur is, qui angitur metu à naturali & necessaria causa proveniente: partim verò; quia ab eo, qui hunc sustinet, obligatio voti liberè eligitur, tanquam medium aptum ad majus malum avertendum, *cit. Sanchez disp. 9. n. 7. & alijs DD. relatis, Barbosa in c. Sicut 17. de Regular. n. 2. id desumens ex c. cit. textu.*

Convenit terciò, validos esse contractus aliòsque actus, metu quidem gravi & à causa libera, sed justè incusso extorsos.

H h h h z tortos.



tortos. Imo tales actus non rescindi, aperte colligitur ex *l. Si mulier 21. pr. ff. hic*, quæ mulieri, quæ ne ob ingratitude erga patronum in servitutem redigeretur, aliquid dedit vel promisit, non succurritur ex ratione; quod hunc sibi metum ipsa intulerit: cujus ratio ulterior est; quia contractus in metu, à causa libera incusso, infirmi, & rescissioni obnoxii tantum sunt ratione injuriæ, quæ per metum infertur, & in proposito casu deficit. Unde valida, nec rescissioni obnoxia est donatio, venditio, & ipsum etiam Matrimonium, metu accusationis aut pœnæ infligendæ extortum ab eo, qui aliquem ad judicem deferre justè potuit, Glossa *in c. Abbas 2. V. Coactus, ubi Panormit. n. 8. Imola n. 3. Sylvester V. Metus n. 6. Gutierrez de Juramento p. 1. cap. 57. n. 5. & cit. Sanchez disp. 8. n. 8.*

Neque obstat primò; quod ex Gregorii IX. rescripto ei, qui iusto metu non appellavit, succurratur, ut postea audiatur, *c. fin. de Appellat.* quia hoc textu *Jussi metus* nomine non venit, qui incussus est justè; quod metum passus justæ ejus intimationi causam delictò vel culpâ suâ præbuerit: sed metus non vanus, probabilis, & cadens in constantem virum: qui, ne appellatio interponeretur, injustè incussus fuit: & propterea justam causam dedit à sententia judicis per appellationis viam, etiam post ejus interponendæ fatale tempus jam lapsum, provocandi & recurrenti ad superiorem, ut *in c. cit.* notant Panormit. *n. 1. Vivianus pr. Barbosa à n. 3. & Pirrhing ad Rubric. de Appellat. n. 87.* quem metum, licet ex parte inferentis injustus sit, ex parte tamen eum passus justum nuncupari, liquet ex *l. Nec timorem 7. §. 1. ff. Quod met. causâ gest.* & dictum est *n. 14.*

Neque obstat secundò, quod in ad-

ulterio deprehensus, si dederit aliquod metu; ne proderetur, actione *Quod metus causâ* juvetur, *l. Nec timorem 7. in fine ff. hic*; quia textus iste accipiendus non est de casu, quò adules ad judicem deferendus: sed, quò prodendus erat iis, à quibus cum Jure non potest, non vanè suspicatus est se occidendum, ut ex verbis, *non Jure occidit*, & ex eo etiam desumitur; quod adulteri metus vocetur *justus*: cujusmodi non est metus mali, quod quis est promissus, & se passurum timet, *arg. l. Si mulier cit. Bruneman. in l. Nec timere cit. n. 2.*

Dubium autem primò & magis notis controversia inter DD. olim hodièque est de Contractibus aliisque actibus, gravi & ad eos extorquendos impetè illato metu gestis. Multum autem interest, an metu extorti actus irriti sint ipsò Jure, vel validi quidem, sed per sententiam rescindendi; quantumvis enim extorta metu utroque casu cum fructibus restituenda sint, validi tamen & rescissioni obnoxii actus varios effectus habent, quos irriti non inducunt; cum rerum metu extortarum dominium saltem revocabile in accipientem transferatur, si actus validi & obnoxii rescissioni, non etiam si irriti sint; metu extorta beneficii Ecclesiastici renuntiatio Canonicis horas recitandi obligationem tollat, eodèque inita sponsalia de futuro publicæ honestatis Justitiæ impedimentum inducant, si illa aut hæc valida sed obnoxia rescissioni: contra si ipso Jure irrita sint, horas illas recitandi obligatio non cesset & publicæ Honestatis Nuptiale impedimentum non inducatur, ut cum Navarro *in c. Accepta 3. de Rescriptis. spoliat. opposit. §. à n. 20.* & aliis observat Sanchez *Lib. 4. de Matrim. disp. 8. n. 1.* Quò præmissò, metu extortos actus  
inducit.



indiscriminatim omnes ipsò Jure invalidos esse, voluit Covarruvias de Sponsal. p. 2. cap. 3. §. 5. n. 6. Sotus Lib. 8. de Justitia q. 1. art. 7. ad 3. & Molina Tract. 2. de J. & J. disp. 267. & disp. 326.

Movetur primò textibus l. 1. C. de Rescind. vendit. §. Qui in aliena b. §. 7. ff. de Acquir. hered. quorum priori venditio: posteriori aditio hereditatis metu extortæ pro irritis habentur: & l. Qui in carcerem 22. ff. hic, ubi nullius momenti esse dicitur, quod ab intruso in carcerem est extortum. Secundo; quòd metus tollat consensum, ad contractûs substantiam requisitum, l. Obligationem 3. ff. de O. & A. quia metus in se habet ignorantiam sive errorem, l. Item si 4. §. 3. ff. hic, contrarium consensui, l. Si per errorem 15. ff. de Jurisdictione §. l. Nihil 116. ff. de R. J. secundum quam consensui nihil tam contrarium est; quàm vis & metus. Tertio; quòd consensum metu ab alio extorquens ei inferat injuriam: ex qua, si illum sibi obligaret & contractus firmus esset, magnum commodum reportaret contra naturalem rationem & æquitatem ipsam ejus, quæ non fraudem machinanti & inferenti injuriam, sed hanc passio vult prodesse, arg. c. 1. de Calumniat. & c. Audivimus 3. de Collus. deteg. Quarto; quòd metum passus rem tradere non teneatur: inferens autem neque eam sibi traditam possit recipere, neque ejus acceptæ dominium acquirat, ut colligitur ex l. Metum 9. §. 4. §. 6. ff. hic, quâ metum passio in rem & non solum in personam Actio datur, ex ratione; quòd res sit in bonis ejus, qui vim est passus. Quintò demum; quòd dolus, dans causam contractui, eum reddat irritum Jure solum Positivò. Cur non etiam metus, qui in Jure dolo æquiparatur, c. Cum contingat 28. de Jurejurando. Ita illi

At multò verius cum Glossâ in c.

Abbas 2. V. Coactus, Ant. de Butrio in c. cir. n. 7. & Jafone in l. Titia 134. ff. de V. O. n. 6. cum Sylvestro V. Metus q. 8. Gomez Tom. 3. Var. cap. 4. ad finem Gutierrez de Juramento p. 1. cap. 57. & aliis tam sacri prophanique Juris Interpp. quàm DD. metu injustè eoque sine incussò extortos contractus & actus alios, qui rescindi possunt, regulariter validos, sed rescissioni obnoxios esse, defendunt Sanchez Lib. 4. de Marr. disp. 8. num. 4. Suarez Lib. 6. de Voto cap. 27. n. 17. Valquez 1. 2. disp. 27. cap. 3. n. 18. Laiman Lib. 3. Tract. 4. cap. 6. n. 2. Card. de Lugo Tom. 2. de J. & J. disp. 22. n. 115. & Haunold. Tom. 3. de J. & J. Tract. 8. n. 113. suam hanc sententiam fundantes in Jure & Ratione.

In illo quidem, imprimis Venditiones, Transactiones, Donationes per potentiam seu vim extortas, l. fm. C. & universè quæ vi & metu fiunt, c. Abbas 2. hic infirmata & in irritum revocanda decernente, luculentò argumentò valoris; cum in irritum revocari & infirmari, quod irritum nullumque est, non possit. Deinde l. 1. §. l. Metum 9. §. 3. §. 4. ff. hic ex Prætoriana æquitate adversus actum metu gestum pollicente restitutionem & rescissionem: quæ remedia non competunt adversus actum ipsò Jure nullum, l. In causa 16. ff. de Minoribus cujus §. 3. JCT. Generaliter, inquit, probandum est, ubi contractus non valet, pro certo Prætorum se non debere interponere. Et demum, l. Si mulier 21. §. 5. ff. hic quâ disertè pronuntiatur eum, qui metu coactus hereditatem adit, hæredem effici: sed per Prætorum restituendum, ex ratione; quòd quamvis, si liberum fuisset, noluisset, tamen coactus voluerit.

In ista verò sive ratione, partim; quòd ad valorem contractûs &c. regulariter solum requiratur justus titulus & voluntarius con-

H h h h 3 rius con-



gus consensus: quorum neutrum in contractu alióve actu metu gesto desideratur; cum metus neque voluntarium absolute tollat: neque dati, accepti, donati, promissi titulum excludat: partim verò; quòd leges, actum metu gestum infirmantes, spectent favorem ejus, qui metu injustè incusso est læsus. Cùm ergo huic regulariter & per se magis faveant, actum ad ipsius instantiam irritabilem, quàm omnino irritum reddendò; quia ita metum passus, si illum sibi utilem judicet, ad impletionem; & si damnosus appareat, ad rescissionem agere potest; Cùm, inquam, hoc ita se habeat, dicendum est, legibus contractus aliósque actus metu extortos, non absolute irritos, sed irritabiles redditos fuisse, ut rectè advertit Hauldus *cit. Tract. 8. n. 155.*

Pro contractu aliorumque actuum, injusto metu extortorum, nullitate deducta, quantamcunque præferant, eam tamen vi non pollent, ut illam persuadeant.

Primum; quia imprimis *l. 1. §. 7. vit.* textus, quibus metu gesta irrita & nullius momenti asseruntur, exaudiendi sunt de effectu; cum enim obnoxia sint rescissioni, viribus carent & firmitate. Deinde; quia *§. 7. cit.* aditio hæreditatis pro invalida habetur propter consensum solummodo fictum, quem adiens clam coram testibus manifestavit, ut cum *Glossa V. Fallens* notant *Zoesius hic n. 6.* & *Bruneman in l. Qui in aliena cit. n. 12.* Demum; quia non desunt DD. qui *l. Qui in carcerem cit.* specialiter irritari existiment promissiones & pacta quæcunque inita in gratiam & favorem ejus, à quo quis ad ea extorquenda in carcerem conjectus fuit, apud *cit. Gutierrez cap. 57. n. 6.* & *Bruneman. in l. 1. cit. n. 1.*

Secundum; quia, licet metus contrarius sit consensui spontaneo, non ta-

men efficit, ut consensus non sit voluntarius & liber: & licet aliquando v.g. cum noctu, clam, vel à multitudine incultus, patiens, à quo illatus sit, ignoret: non tamen facit, ut qui eum patitur, quid agat, ignoret, *Glossa in l. Si cum exceptione §. 3. V. Ignorantia ff. de & Pirthing ad hanc Rubric. n. 11.*

Tertium; quia metum inferens ex injuria exiguum lucrum refert; cum metum passus, re adhuc integrâ, competat receptio, quâ contractus impletionem potentem repellere: eâ autem non amplius integrâ, sive post contractum per traditionem, pecunia numerationem &c. iam impletum, gestorum rescissionem &c. integrum restitutionem valeat polliceri, *l. Metum 9. §. 3. §. 4. cit.*

Quartum; parim; quia ex eo; quòd metum passus rem tradere non teneatur, ritè non inferitur, eum omnino non, sed solummodo, non firmiter obligari, *Lego cit. disp. 22. à n. 78.* & *Pirthing l. cit. n. 12.* partim verò; quia, licet metum inferens acquirat rei tradite dominium, hoc tamen admodum infirmum & conjunctum est cum obligatione restituendi; ut metum passus actio in rem utilis concedatur perinde, ac si dominus mansisset, præfertim; cum à re exclusus eâve privatus non censeatur is, cui restitutionis remedium conceditur à Prætoribus, *l. Nemo §. ff. de in Integ. restit.*

Postremum; quia satis probabiliter etiam dolus causam dans contractui, quando non circa istius substantiam, sed accidentales tantum circumstantias versatur, eum non irritum ipso Jure, sed irritationi obnoxium duntaxat reddit, *l. Ad dolo §. C. de Inutil. stipulat.* quia consensus circa objectum substantiale non tollit, *Lessius cit. cap. 17. n. 31.* Accedit; quòd dolus, quando versatur circa rei substantiam, excludat voluntarium, ad va-



lorem contractus necessariò requisitum: non etiam metus; cum, qui ad contrahendum dolò: non etiam, qui metu inducitur, in causa consensus erret, Sanchez cit. disp. 8. n. 11. & Zoccius ad hanc Rubr. ff. n. 9.

34. Dubium secundò & sicut momenti maximi, sic minimè facilis resolutionis controversia est, an rescissioni obnoxii sint contractus & actus alii, metu injustè quidem, sed aliò fine, quàm ad illos extorquendos incussò, obtenti; eorum enim valorem firmitatemque rescissioni minimè obnoxiam, cum Ant. de Butr. in c. Cum locum 14. de sponsal. n. 11. & Præposito ibid. n. 22. propugnant cit. Covarruvias §. 4. n. 15. Sanchez disp. 12. n. 11. & Perez de Matrim. disp. 17. f. 9. n. 3. & ut iste ait, communissima sententia aliorum. Moventur

Primò; quia tali metu initi contractus gestique actus alii subsistunt Jure Naturali; cum absolutè voluntarii ac liberi sint: Positivò autem eis valor aut firmitas adempta non reperitur: imò c. Sicut nobis 17. de Regular. pro valida firmâque apertè habetur professio Religiosa, evitandæ, quæ imminere credebatur, mortis metu emissa.

Secundò; quia talem metum passim ad contractus & actus ita gestos à nemine sunt compulsi; sed eos ipsi elegerunt, tanquam medium se liberandi à malo vel incommodo, aliò fine sibi intentato: & licet in ejus intimatione intervenerit injuria, ratione cujus actus metu gestus, quando possunt, rescinduntur, ea tamen non intervenit in contractu & actu, nemine cogente & liberè electo.

Tertiò, si, cum Titio grave malum intentaretur à Cajo, Mævius illi, si equum sibi donet aut vendat, à malo illo liberationem promitteret, eaque donatione aut venditione sibi factâ, Titium li-

beraret, donatio aut venditio valida firmâque foret; quòd metus ad eam extorquendam non incussus, sed à Titio ad liberationem à malo sibi intentato obtinendam electa fuerit. Cur non etiam validè firmâque sit equi donatio aut venditio, quâ malum aliò fine intentatum Titius redemisset à Cajo? cum ipsa quoque à Titio, tanquam medium evitandi malum, sponte fuerit electa.

Verisimiliùs tamen contractus & actus alios, hujusmodi injustò metu gestos, rescissioni obnoxios regulariter esse, sustinent Palatios in 4. disp. 29. disp. unic. ad finem §. Nonò, Veracrux Speculi p. 1. art. 8. §. Clarissimè & aliis DD. allegatis Lugo de J. & J. disp. 22. n. 175. nisi Jure utroque & ratione.

35. Et ex Jure quidem Canonico adducunt præsentì Rubricæ subjectum c. 7. quòd relatò Alexandri III. rescriptò pro irritò habetur ingressus & professio Religionis, ab uxore edita metu mortis, mariti justur à militibus, non ad extorquendum Religionis ingressum, sed aliò fine scilicet in pœnam & ultionem adulterii, de quo commisso marito suspecta erat, inferendâ; cum Religionis ingressus, tanquam necis evadendæ mediis, mentio à militibus primùm facta & à muliere acceptata fuerit, cum evaginatò gladiò jam esset occidenda. Cum ergo metus, qui Religionis ingressum & professionem irritat, alios actus, qui rescindi possunt, ex Edictò Prætoris l. 1. ff. pr. ff. Quod met. causa gest. rescissioni obnoxios reddat, gravi & injustè incusso metu initorum contractuum & gestorum actuum aliorum rescissio ex Edictò illo jure petitur & conceditur: licet metus non ad eos extorquendos, sed ob aliam causam & finem, injustè fuerit incussus.

Ex Civili autem Jure allegant l. Nec timorem 7. ff. Quod met. causa gest. c. jus §. 1.



ius §. 1. ad Edictum Prætoris *Quod metus causa gestum est, ratum se non habiturum*, & actus rescissionem pollicentis l. 1. cit. pr. pertinere dicitur, si quis in flagitio deprehensus ex mortis vel alterius mali non jure sive injustè inferendi metu aliquid dederit vel se obligarit. Quò locò, licet metus ad dandum sive obligandum non fuerit incussus, nihilominus metum passus ex Edicto subvenitur; quòd metus justus sive gravis & in constantem virum cadens non jure sive injustè fuerit incussus.

Rationem in Naturalis Juris principiis fundatam reddunt; quia, licet injustè illatus v.g. mortis metus incussus non sit ad contractum aliúmve actum extorquendum, cum tamen passus illata est gravis injuria: ratione cujus, qui ejusmodi malum intentavit, ad removendum aut refarciendum totum damnum ex metu illo secutum Naturali Jure obligatur. Cum ergo metum passus ad evitandum malum, à metum inferente sibi per injuriam intentatum, in contractum aliúmve actum sibi damnosum præstitit consensum, quem alias præstiturus non fuisset, is, qui malum per injuriam minitandò ejus consensus causa fuit, ratione injuriæ refarcire tenetur totum damnum ex illo metu secutum; & consequenter procurare metum passi reductionem in statum, in quo nihil damni patitur: & cum hoc per eum, quod metu gestum est, rescissionem obtineatur, contractum, aliúmve actum metu gestum, si possit & metum passus petat, rescindere & quod ex illo accepit, restituere tenetur.

Ex his planè corruunt argumenta deducta pro actu metum injustè, etiam alio sine quàm ad eos extorquendos, incussò gestorum firmitate.

Primum; quia, licet hujusmodi actus validi sint Jure Naturali, istius tamen

Æquitate & ratione suadente, eorum rescissionem, si possit, faciendam, Jure Positivo satis est expressum, non obstante, imò ad rem nihil faciente *c. Sicut nobiscit. decisio*; quia *c. cit.* agitur de Religionis professione, edita metu non injusto; cum non ab extrinseco & agente libero fuerit incussus; sed provenit à causa intrinseca & necessaria, scilicet nimia ægritudine: cujus ex eaque securitæ mortis metus cum vacet injuriæ, obgesta Jure subsistere, dictum est n. 28.

Secundum; quia, licet metus dicitur incussus non sit ad extorquendum contractum, iste tamen, aliúsve actus ita gestus, secutus est ex injuria: ex qua securitæ damna, cum ejus author teneatur removere, ad eum, qui meum passus est; in pristinum statum per contractus aut alterius actus ita gesti rescissionem restituendum obligatur.

Potterem; quia interest, an *Mævius* ad *Titium* à malo, per metum à *Cajo* incussum intentato, liberandum ex Justitia obligatus fuerit, aut secus; cum, si ad *Titii* liberationem ex Justitia obligatus fuit, donatio aut venditio infirma & rescissioni obnoxia sit; quòd etiam ipsa injusto metu, liberationis, sibi debetæ & per injuriam denegandæ, à *Mævio* fuerit obtenta. Si verò liberatio *Titio* debita ex Justitia non fuit, donatio aut venditio firma sit, hòc ipso; quòd facta immediatè sit in compensationem, sive intuitu operæ conferendæ ad liberationem, quæ *Titio* sine injuria poterat denegari; ac proinde obtenta immediatè non sit metu injusto, sed justò, scilicet carendi operæ indebitæ ad liberationem: & licet donationi aut venditioni occasionem dederit metus antecedens, à *Cajo* injustè incussus, iste tamen illam non causavit immediatè, sed solum mediatè, ut rectè observat *cit. Lugo n. 179.*

Dubium



36. Dubium tertio est, an infirmi & rescissioni obnoxii regulariter etiam sint contractus & actus alii, gesti metu non ab eo, quocum gesti sunt, sed ab aliquo tertio injustè incussò. Ratio dubitandi est; quòd, si quis dolo, non ab ipso contractante, sed ab aliquo tertio deceptus sit, contractus non rescindatur ad instantiam decepti, sed huic ad totius damni resarcitionem actio detur adversus tertium deceptorem, *l. Et eleganter 7. §. p. ff. de Dolo, Molina Tract. 2. de J. G. disp. 352. n. 7.* At, esto hoc de contractu, dolo sic inito, ita se habeat, metu tamen à tertio incussò coacti contractum rescissioni obnoxium esse, perspicuè proditum est *l. Si cum exceptione 14. ff. Quod met. causâ gest.* cujus §. 3. est, *In hac actione non queritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecerit; sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum vel vim, & ex hac eum, qui convenitur, etsi crimine caret, lucrum tamen sensisse: quod etiam colligitur ex c. Veniens 15. de Spons. & Matrim.* ubi metum intulere soli alterius contrahentium parentes, & tamen matrimonium ex eo extortum irritum fuit.

Ratio, cur leges rescindi potius voverint contractum metu à tertio incussò extortum, quàm eum, qui tertii dolo initus fuit, ea videtur esse; quòd metu contrahens, magis debilem & infirmum consensum habeat circa rei substantiam, quàm contrahens dolo, qui circa rei substantiam non versatur; cum ille in rei substantiam repugnans consentiat: istius autem consensus circa rei substantiam repugnans non sit, *cit. Lugo n. 173.*

37. Dubium quartò est an rescissioni obnoxius sit contractus vel alius actus, extortus metu mortis secundum allegata quidem & probata, sed materialiter injustè & innocenti inferendâ; eum enim pro firmo & rescissioni non obnoxio ha-

bet *cit. Sanchez disp. 19. n. 8.* quòd huiusmodi metus non inferatur injuriâ; cum ita convictum iudex jure condemnet. Verùm, esto injuriam formalem non contineat ex parte iudicis metum inferentis, & allegationibus probationibusque falsis decepti, ex ejus tamen etiam parte continet injuriam materialem, & formalem ex parte patientis, revera innocentis: cui re ipsa illatâ injuriâ rationem hac in re habendam, liquet partim ex *l. Mulier 21. pr. et.* ubi mulieri metum passâ non subvenitur, ex ratione; quòd hunc metum sibi ipsa intulerit per suam ingratitude in patronum, ex quo aperte colligitur, ut v.g. contractus ex metu rescindatur, necessariò requiri, ut injustus sit ex parte patientis; cum, si ex ipsius parte injustus non sit, non rescindatur: partim ex eo; quòd, si Titium cum filia sua reaptum Cajus mortis inferendâ metu ad filiam ducendam cogeret, ita extortâ nuptiâ irritâ forent: licet Cajus, Titio mortem à se jure inferri potuisse existimasset, & injuria Titio illata ex parte inferentis formalis non esset; quòd, ut actus ex metu irritus aut infirmus & rescissioni obnoxius sit, sufficiat illum injustum esse ex parte patientis. Quare contractum aliumve actum mortis, secundum allegata & probata justè, revera autem injustè & innocenti inferendâ, metu extortum rescissioni obnoxium esse, verisimiliùs defendunt Pontius *cit. Lib. 4. cap. 19. n. 8.* & Palao *Tract. 2. disp. 1. p. 11. num. 3.*

Dubium quintò est de contractu extorto metu gravis mali, v.g. accusationis intentatâ sine animo accusandi, incussò. Qua in re interesse existimo, an malum v.g. accusatio jure, vel non nisi injuriâ potuerit inferri; cum, si non nisi injuriâ inferri potuit, contractus tanquam injustò metu extortus procul dubio infirmus sit & rescin-



- & rescindendus; quia metum proxime non causat ipsum malum, sed ejus inferendi apprehensio, quæ eadem est, eodémque modò movet, sive malum exequendi animus adsit, sive non adsit, ut rectè observat Lessius *cit. Lib. cap. 17.*
39. n. 45. Si verò malum v.g. accusatio inferri jure potuit, ejus intentati metu initum contractum rescindendum, aliqui volunt, non præcisè ratione metus; quòd ille injustus non fuerit; sed ratione doli, commissi simulatâ gravis mali comminatione. Verùm, quia dolus iste injuriâ caret; cum malum, qui simulandò intentavit, inferre & minitari jure poterit, verisimiliùs contractus v.g. donatio aut venditio firma est, & nequaquam obnoxia rescissioni; cum ea inita sit intuitu liberationis ac securitatis ab accusatione, quæ intentari jure potuit & inferri: quò jure, qui accusationem minatus est, donationis aut venditionis intuitu cessit, *cit. Lessius n. 42. Sanchez disp. 9. n. 9. & Palao p. 10. n. 5.*

## ARTICULUS IV.

De Actibus ob Metum  
Jure specialiter irritatis.

## SUMMARIUM.

40. Metu irritatur I. Matrimonium.  
41. II. Constitutio Procuratoris ad id contrahendum.  
42. III. Promissio & solutio Dotis.  
43. IV. Professio & Vota constituentia statum Religiosum.  
44. Non etiam cetera Vota,  
45. Etiam ingrediendi Religionem.  
46. V. Promissio & traditio rerum Ecclesiasticarum.  
47. VI. Absolutio à Censurâ.

48. VII. Extortio ab incarcerato.  
49. Jurisdictionis collatio metu obtenta valet.  
50. Secundùm aliquos relati actus irriti sunt jure Naturali:  
51. Verius, illos solò jure Positivo irritos, alii defendunt.

**D**E contractuum aliorumque actuum metu gestorum valore tradita, sicut consentanea Juno & rationi, sic perpetua non est insinuatum n. 32. quò loco contractus aliosque actus, metu injustè inculso extortos, jure validos esse, dictum est Regulatè; quia à tradita de iis generali doctrina varii actus excepti & jure specialiter irritati reperiuntur.

Et primò quidem Matrimonium canonicale, c. Cum locum 14. c. Veniens 15. & de Sponsal. & Matrim. etiam si ei metu inito adjectum sit juramentum, c. Significavit 2. De eo, qui duxit in Matrim. Cum enim matrimonium valide contractum & consummatum ullâ humanâ auctoritate nequeat rescindi, juxta illud, Quod Deus conjunxit, homo non separet, Matrim. cap. 19. v. 6. & c. Ex publico 7. de Convulsi. conjug. & matrimonia coacta tristes & infelices exitus frequenter soleant habere, c. Requisivit 17. de Sponsal. & Matr. Jura ad id non solum voluntarium & liberum, sed Spontaneum & ab omni coactione metive, ad matrimonium extorquendum directè, vel indirectè, injustè tamen illud, liberum consensum requisiverunt, ut Lib. 4. Tit. 1. pluribus tradetur.

Secundò, Constitutio procuratoris ad matrimonium contrahendum; cum, si ad eum constituendum principalis gravi & injustè inculso metu compulsus fuit, conjugium valide iniri à procuratore non possit; quia principalis, aliò modò non consentit in conjugium suò nomine celebratum.



bratum à procuratore, quàm quòd consentit in istius constitutionem; cum id contrahatur vi consensûs in istam præstiti & quàm diu non revocatur, moraliter perseverantis, *c. fin. de Procurat. in 6.* eamque ob causâ principalis, sicut in procuratoris constitutionem, sic etiam in matrimonium gravi metu consentire, ac proinde nihil agi censeatur. Ita cum Joan. Andr. *in c. Cum locum cit. num. 1.* Covarruvia *de Sponsal. p. 2. cap. 3. §. 5. n. 9.* Sanchez *Lib. 4. de Matr. disp. 12. n. 22.* & Pontius *Lib. 4. de Matrim. cap. 14. n. 16.* id ipsum de aliorum ad negotia datorum procuratorum constitutione sentiens, & defumens *ex c. Accedens 10. de Procurat.* Quod tamen alii DD. merito negant; cum textu illò procuratoris libera constitutio procuretur, quin metu extorta irritetur.

42. Tertiò, Promissio dotis: quam, si eî stipulatio adjuncta non sit, irritam esse, negant Bartol. *in l. Si mulier 21. §. 3. ff. Quod met. causa gest.* & Alex. de Nevo *in c. Cum locum cit. n. 28.* eâ ducti ratione; quòd non eadem promissionis dotis ratio sit, quæ est matrimonii; cum hoc semel validè initum nequeat rescindi aut irritari, juxta illud *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, *Matth. cap. 19. v. 6.* dotis autem promissio, licet valida sit, irritari ac rescindi queat: ubi autem non eadem, quæ principalis, ratio accessorii est, hoc non sequatur naturam sui principalis, *arg. l. Etsi u. 9. C. de Præd. min. ut ibi notat Bruneman n. 2.* Verius tamen, dotis promissionem constitutionemque, & ipsam quoque promissionem arrharum, metu extortas ipsò Jure irritas esse, cum Glossa *in c. Abbas 2. V. Coactus* & Panormit. *ibid. n. 9.* sustinent Petr. Barbola *in Rubr. ff. Solutio matrim. p. 4. n. 27. cit.* Lessius *cap. 17. n. 37.* & Sanchez *disp. 22. n. 23.* quòd id perspicuè omnino pro-

ditum sit *l. Si mulier 21. cit. §. 3.* ubi Paulus JCT. ait, *Si dos metu promissa sit, non puto, nasci obligationem.* Ratio ejus promissionem & constitutionem irritandi fuisse videtur; quòd dos accessoria sit matrimonio, & propterea in ea locus, *Reg. Principalis 18. ff. & Reg. Accessorium 42. in 6.*

Neque obstat; quòd non eadem promissæ & constitutæ dotis ratio, quæ matrimonii sit; quia promissio & constitutio dotis non ob paritatem cum matrimonio, sed propter ipsius ad hoc accessionem & connexionem irritata fuit; cum enim textus expressè irritat accessorium, hoc propter nullitatem principalis irritatum censetur, Sanchez *cit. disp. 22. n. 23. in fine.*

Quartò, Matrimonium Spirituale sive 43. professio Religiosa, *c. 1. hic & c. fin. Qui clerici vel vovent.* & Vota etiam simplicia Scholasticorum & Coadjutorum in Societate JESU, ut *arg. c. 1. cit.* advertit Pontius *Lib. 7. de Matr. cap. 29. n. 10.* Ratio est; quia eorum emissionem assumitur verus Status Religiosus, secundùm *Constitut. Gregorii XIII. quæ incipit Ascendente, editam Calend. Junii 1584.* cujus assumptio metu extorta irrita pronuntiatur *c. 1. cit.* cujus ratio ulterior est; quòd Religiosi statûs assumptio, propter ejus perpetuitatem & difficultates, non minorem libertatem, quàm matrimonialis, requirat, Covarruvias *cit. p. 2. cap. 3. §. 5. n. 5.*

Sicut Solenne, editum per professionem Religionis, & Simplicia vota, Statum Religiosum constituentia, sic quodcumque aliud votum, gravi & injustò metu emissum, Jure irritatum esse, cum *cit. Glossa V. Coactus Panormit. in c. Abbas cit. n. 11. Navarro Manual. cap. 12. n. 52.* & Soto *Lib. 7. de Justitia q. 2. art. 1. ad 1.* docent Sanchez *Lib. 4. Moral. cap. 3. n. 12.*



Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 40. n. 18.* & Gonzalez *in c. Cum dilectus 6. n. 10.* propter textum *c. 1. cit.* quò voti metu emissi nullitas supponitur, non obscurò indicò, id ipsò & quidem Naturali Jure irritum: & *c. Cum dilectus cit.* ubi canonici ad observantiam voti cum juramento editi compelluntur ex ratione; quòd ejus observantia non vergat in dispendium salutis, & ad votendum ac jurandum gravi metu non sint compulsi. Unde à contrario ductò argumentò, si metus gravis intervenisset, eos ad observantiam non cogendos infertur. Ratione id suadent; quòd Deus coacta vota non acceptet; cum non coactos, sed voluntarios milites suscipiat, *can. Non est 15. q. 1.* & si metu extorta Vota acceptaret, ipsam in juriam videretur approbare.

44. Nihilominus Vota etiam metu extorta, exceptò duntaxat Solenni Professionis Religiosæ & Simplicibus votis in Societate JESU, quibus istius Novitii exactò probationis tempore Religioni perpetuò se tradunt, pro validis, relaxationi tamen obnoxii, habent Sylvester *V. Votum 2. q. 12.* Suarez *Lib. 1. de Voto cap. 3. à n. 4.* Pontius *cit. Lib. 7. cap. 19. n. 9.* Palao *Tract. 15. disp. 1. p. 5. n. 13.* Perez *de Matrim. disp. 17. f. 12. n. 13.* & alii, eà permoti ratione; quòd nullitas & irritatio actus odiosa, ac proinde statuenda non sit sine claro Juris textu aut urgente ratione: cujusmodi nec allegati textus sunt, nec ratio. Illi; quia *c. 1. cit.* apertè sermo est de professione Religiosa: eòque textu minùs ad rem facit *c. Cum dilectus cit.* quia imprimis ex ejus Historia, ab ipsomet Gonzalez *in c. cit. n. 9.* relata constat, eò votum non Simplex, sed Solenne, scilicet ipsam professionem Religiosam, cum suarum personarum & sui etiam monasterii in Ordinem Cisterciensem translatione, à canonicis Regulari-

bus editam fuisse. Deinde quia alii DD. *c. cit.* nullum verum votum editum: sed promissionem tantum juratam Cisterciensibus factam, volunt: quòd votum non nisi improprie vocatur. Demum; quia, si *c. cit.* verum & simplex votum editum fuit, cum id observandum dicitur, si gravis metus non intervenit, à contrario quidem non male infertur, metu editum non necessariò observandum. Sed, cum hoc fieri queat obtentà relaxatione, non rectè arguitur ad nullitatem, ut rectè observat *cit. Palao n. 12.* Ista verò five ratio non urget, partim; quia etiam metu videntes, licet secundum quid involuntariò, simpliciter tamen & absolute loquendò voluntariò vident, instar ejus, qui metu naufragii votum emitit: partim verò quia Deus ejusmodi votum acceptandò non approbat injuriam, metum inferentis; cum, sicut votum metu editum acceptat, sic permittat relaxationem acceptat: & metum inferentis injuriam plectat.

Excipiunt tamen *cit. Suarez n. 10. 49.* & Palao *n. 14.* votum ingrediendi Religionem à sede Apostolica approbatum; id enim, gravi & injustè incusso metu extortum, pro irritò habent, unicà sed, ut eam Palao vocat, efficaci persuasiva ratione; quòd tale votum, si valeret, obligationem induceret ad actum nullum, scilicet ipsum ingressum seu professionem Religiosam, spontaneum & ab omni vi metuque injustè incusso absolutum confectum exigentem, *c. 1. cit.* ad actum autem Jure nullum obligationem dari non posse, ex terminis ritè perceptis constat. Verum, quia hæc ratio, si religionis votum Simplex, etiam Sponsalia metu extorta valore destitui evincit: quòd laudatus Doctor *Tract. 3. disp. 1. p. 2. n. 3.* negat, quomodo efficax ei videri possit, planè non apparet. Et revera efficax non est; cum



est; cum, sicut sponsalia ad matrimonium ineundum, sic votum Religionis metu editum obliget ad Professionem, non, dum metus urget, sed istò cessante emittendam: metu autem cessante, sicut initi matrimonii, sic etiam Professionis editæ valori, in præviis sponsalibus & voto simplici interveniens metus non obstat; quia Jura Matrimonium & Professionem non ob quemcunque antecedentem, sed in ipsis illius initi & hujus editæ actibus intervenientem vel non cessantem metum irritarunt, *c. 1. cit. c. Cum locū 14. c. Veniens 15. Sc. de Sponsal. & Matr.* Quare, sicut cætera, sic etiam de ingressu Religionis editum votum Simplex Jure subsistit; quod ejus nullitas canonis textu aut rationis vi non evincatur.

46. Quintò, Promissio & traditio rerum Ecclesiæ: quam gravi metu extortam, eique adjectum juramentum de ejusmodi rebus non repetendis irrita esse, patet ex *can. Si quandoque 15. q. 6. & e. Pervenit 2. de Jurejurando*, Glossa in *e. cit. V. Per metum* & Panormit. in *c. Abbas cit. n. 10.* quia ejusmodi rerum alienatio ad sui valorem exigit justam causam & Jure præscriptas solennitates, *can. Sine exceptione 12. q. 2. c. 1. c. Tua 8. Sc. De iis, que à Pralat. Clement. 1. & 2. Sc. 1. de Reb. Eccles. alien. in 6.*

Neque in contrarium facit; quòd *e. Pervenit cit.* Episcopus à juramento, de non repetendis Ecclesiæ rebus injustè ablati prælitò, absolutus perhibeatur; quia eâ absolutione non dissolutum juramenti vinculum, sed ejus solummodo nullitatem declaratam, rectè notat Glossa *ibi V. Absolvimus*; cum enim juramentum non sit vinculum iniquitatis, *can. Inter cætera 22. q. 4. Sc. Quando 18. de Jurejurando* obligatorium esse non potuit, quod prælitum fuit super

ejusmodi Ecclesiæ rebus non repetendis, contra obligationem impositam *c. Si quis 6. de Reb. Eccles. alien. Panormit. in c. Si quis cit. n. 7. & Gutierrez de Juramento p. 1. cap. 1. n. 9.*

Sextò, Absolutio à censuris Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti, sicut & sententiæ, quæ earum aliqua lata est, revocatio; hæ enim, per vim metusve extortæ, à Gregorio X. irritatæ sunt *c. Unico in 6. odio illorum*, qui in contemptum potestatis Clavium, & in Libertatis Ecclesiasticæ præjudicium Prælatos & judices Ecclesiasticos ad censurarum inflictarum relaxationem compellere præsumunt; cum pro ea ultroneò à contumacia recessu & humili prece instare deberent, *can. Sententia 11. q. 3.* ut adeò tales, absolutionem vi metusve extorquendò, non solum à censura ante inflicta non consequantur liberationem, sed ejus exasperationem & excommunicationem novam promereantur, & ipsò factò incurrant, ut in *c. cit.* cum Glossa *V. Excommunicationis* notant Vivianus, Laiman n. 1. not. 2. & Pirrhing ad *hanc Rubr. n. 31. not. 4.*

Atque hac *c. cit.* dispositione afficiuntur Primò, qui vi metusve extorquent absolutionem ab excommunicatione minori; cum etiam hæc sit vera censura, ejusque absolutionem injusta vi extorquendò contemnatur autoritas & libertas Ecclesiastica violeatur, ut in *c. Sè quem 59. de Sent. excom. Felin. n. 4. Suarez de Censur. disp. 7. s. 6. n. 13. & Laiman in c. 1. cit. n. 3.* observant. Secundò, in censura etiam injustè, validè tamen lata; cum textus loquatur indistinctè & censuræ injustitiæ, non violentiis, sed Jure proditis aliis remediis sit occurrendum, *arg. c. Sacro 48. V. Caveant de Sent. excom. Sayrus Lib. 2. Theaur. cap. 21. n. 30.* Tertiò, etiam si

liiii ; censura



cenfura fub conditione futura primùm incurrenda fit, & ante impletam conditionem illam iudex ejus fententiam revocare vi metùe compellatur, Suarez *cit.* n. 13. & Laiman *in c. 1. cit. n. 1. in fine.* Quartò, etiã fententia abfolutio aut fententiæ revocatio ab alio ita extorqueatur, Sayrus *cit.* n. 30. & Ugolin. *de Cenfur. Tab. 1. cap. 2. §. 4 n. 1.*

Ejus tamen *c. 1.* difpofitioni locus non eft, cùm Prælati aut iudex Ecclefiafticus vi metùe incufò nihil motus, abfolutionem vel cenfuræ revocationem denegavit; quòd *c. cit.* Papa utatur verbò *Extorferit*: tali autem cafu abfolutio aut revocatio extorta non fit; ac proinde *c. cit.* difpofitio pœnalis ad propofitum cafum non fit porrigenda, Gloffa *V. Extorferit cit.* & Pirthing *cit.* n. 31. not. 3.

Eidem locus etiã non eft cafu, quòd excommunicationis vel alterius cenfuræ fententia non folùm injufta, fed etiã invalida fuit; cùm, quòd fententia lata nulliter, perinde ut non lata habeatur, & revocari aut relaxari propriè non poffit, *arg. c. Ad diffolvendum 13. de Refponf. impub.* tum verò; quia à cenfura nulliter inflicta abfolutio & fententiæ revocatio propriè & in effectu metu extorta non fuit, *cit.* Laiman n. 2. & Pirthing not. 2.

48. Septimò, acta à detrufo in carcerem: non tamen indifcriminatim omnia, fed gefa cum detrudente ac detinente, ut aliquid extorqueret, *l. Qui in carcere 22. ff. Quod met. causa gef.* quòd, quidquid ob hanc caufam factum eft, nullius effe momenti afferitur, Panorm. *in c. Abbas cit. n. 19. Gutierrez cit. p. 1. cap. 37. n. 6.* & Bruneman. *in l. cit. n. 1.* qui tamen, licet cum Roland. à Valle *Lib. 3. Confil. 5 n. 57.* pro irritis etiã habeat, quæ pro incarcerato gefit ejus

pater, ad hujusmodi actorum nullitatem expofcit, ut incarceratio fit injufta; quòd etiã exigat Covarruv. p. 2. *de Sponfal. cap. 3. §. 4. n. 25.*

His cafibus jurifdictionis prorogationem, Hoftienf. *in c. Abbas cit. in fine,* & omnem ejus collationem metu extortam addunt *in c. cit.* Gloffa *V. Conatus,* Panormit. n. 12. Anchoran. n. 3. Sylvefter *V. Metu n. 8. Azor p. 3. hofit. lib. 4. cap. 3. q. 2.* & alii, pro ejusmodi prorogationis & collationis nullitate allegantes *l. Confenfiffe 2. ff. de Judiciis,* cujus *pr. Ulpianus,* cùm partium litigantium errore jurifdictionem non prorogari afferuiffet, fubjicit, *Aut fi, cum refitiffet quovis ex litigatoribus, verbum Pratura compulfus eft, nulla jurifdictionis translationem ipfò Jure invalidam effe, proditum ajunt.* Sed male à speciali cafu, quò partes ad litigandum coram iudice non fuo funt compulfæ, five à jurifdictionis prorogatione, ita attemptata, argumentum ducunt ad metu extortam omnem ejus translationem & collationem, contra Regulam, fpeciale ad generale & in confequentiam trahi non permittentem, *c. Sanè p. de Prifileg. §. Reg. Quæ à jure 28. in 6.* Quis, fi *pr. cit.* verba accuratius ponderentur, ipsam etiã jurifdictionis prorogationem obtentam metu Jure non lubillere, perperam inferri; videri potest; cùm illò litigatores dicantur refitiffe, ne à iudice non fuo judicarentur; ac proinde jurifdictionem dandi voluntatem non habuiffent: ubi autem jurifdictionem dandi feu prorogandi voluntas non eft, jurifdictionis prorogatio, propter defectum confenfus in litigatoribus, à quibus proroganda erat, ipfò Jure invalida eft, five metus adfit, five non adfit, ut eruditè obfervat Lugo: qui propterea jurifdictionem



risdictionis collationem, sive in aliquem translationem, cum Zabarella in c. *Abbas cit. V. Quintus Sanchez Lib. 3. disp. 39. n. 13.* & Lessio *cit. Lib. 2. cap. 18. n. 37.* & verisimiliter ipsam quoque illius prorogationem, extortam metu, non irritam, sed irritandam, cum Palao *Tract. 2. disp. 1. p. 9. n. 6.* sustinet *disp. 22. de l. & l. n. 131.*

Iisdem casibus adiciuntur à nonnullis electio & renuntiatio beneficii Ecclesiastici: ab aliis juramentum, testis presentia in testamenti factioe & ipsum testamentum: & rursum ab aliis sententia definitiva & actus alii gravi & injusto metu extorti: de quibus, quid vero consentaneum aut similis sit, propriis cuique locis jam dictum, aut in progressu discutietur ac statuetur. Hòc locò

50. Dubium moveri solet, an enumerati actus, si metu extorquentur, irriti sint Jure Naturali; hoc enim, præsertim de Matrimonio, de constitutione procuratoris ad id contrahendum & de Professione Religiosa non pauci & graves DD. affirmant; quòd, si eò Jure subsisterent, à Naturæ authore non satis occursum esset hominibus improbis, & probis atque innocentibus consultum; cum hos illi maximè injuriosa actione sibi firmiter atque omnino irrevocabiliter possent obligare. magnò commodò suò & incommodò proborum

51. Verum, quia ex DD. illis plerique ejusmodi actus injusto & gravi, non tamen ad eos extorquendos: & ad hos extorquendos metu levi: uti etiam dolo (circa rei substantiam non versante) extortos Jure Naturali, imò etiam Positivo validos asserunt: quantumvis per eos injuriam passi hanc inferentibus aut aliis irrevocabiliter obligentur, melius cum Sylvestro *V. Matrimonium 8. n. 21.* Navarri *Manual. cap. 22. n. 50.* &

aliis *cit.* Lessius *n. 42.* & Sanchez *disp. 8. n. 4.* eos Jure solum Positivo irritatos docent: etsi, quando possunt, sint rescindendi. Rationem reddunt; quòd non appareat sufficiens ratio à Natura inductæ nullitatis; cum ista non proveniat ab injuria; aliàs enim actus quicumque, istâ interveniente celebrati, irriti forent: neque ex defectu consensûs; cum voluntarium, à Natura ad valorem actûs requisitum metus non tollat, sed solummodo diminuat.

Neque propterea defectûs argui potest Natura; cum nocentes à metu inferendo absterruerit timore poenarum & obligationis pro illata injuria exhibendi congruam satisfactionem: atque insuper legitimo Magistratui dederit potestatem, illos, si invalescente malorum improbitate innocentibus periculosi & meritò timendi cum tempore viderentur, irritandi, ut *Lib. 4. Tit. 1. de Matrimonio* plenius ostenditur.

#### ARTICULUS V.

### De Metu gestorum Rescissione, illiusque Probatione.

#### SUMMARIUM.

52. Metum passo ante Exceptio:  
 53. Post impletû contractû Actio datur,  
 54. Ad rei cum fructibus restitutionem.  
 55. Actio etiam datur adversus eum,  
 ad quem metu extorta pervenerunt.  
 56. Metum inferens intra annum in quadruplum: postea in simplum condemnatur.  
 57. Ex metu, in favorem tertii incussò, Actio datur,

58. Metu



58. *Metum alleganti incumbit probatio:*

59. *Qua legitimis modis,*

60. *Testium depositionibus, presumptionibus &c. fieri potest.*

61. *Pro metu duobus potius, quam pluribus contra eum, deponentibus frequenter:*

62. *Non semper fides habetur.*

52. **S**I contractus aliüsve actus, gravi & injusto metu extortus, irritus sit ipsò Jure, eum implendi obligatio non est: ejusq; jam impleti nullita te declarata, repetitur aut restituitur, quod ex eo datum est aut acceptum.

Si autem ipsò Jure irritus non est, eò læso variè succurritur. Et quidem, si donatio aut venditio rei traditione impleta necdum sit, ad eam celebrandam metu coactus eum, qui metum intulit, contractus impletionem petentem, repellit Exceptione Metus, istòque probatò à giudice absolvitur, ne illum impleat, *Glossa in c. Abbas 2. V. Coactus* ubi *Imola n. 7. & Laiman n. 3.* cum enim, ut mox dicitur, metum passio detur Actio, multò magis ei competet Exceptio, *Reg. Inventus 156. §. 1. ff. & Reg. Qui ad agendum 71. in 6.* cum ista majori æquitate nitatur, quàm Actio, *l. Qui aequitate 21. ff. de Except. doli;* atque idcirco non raro, cui denegatur Actio, Exceptio concedatur, *c. Cum inter 5. de Except. ut dicitur ad Reg. Qui ad agendum cit. n. 2.*

53. Ad actus autem, v.g. donationis aut venditionis, metu extortæ rei que traditione jam impleta, rescissionem Jure quidem Civili prodita Actio non reperitur; quòd in actibus extortis metu istum passi consensus non desideretur; cum coacta voluntas revera sit voluntas, *l. Si mulier 21. cit. §. 5.* metusque inductus inter duò mala elegerit minus, rêmque donare aut

vendere ac tradere, quàm grave malum, si non donet vendatve, imminens pati maluerit, *Wesembec. in ff. Quod metu causa gest. pr.* Jure autem Prætorio imprimis metum passio datur Actio, que à primis propositi à Prætorè Edicti verbis; *Actio Quod metu causa nuncupatur;* Quòd enim, inquit ille, *metu causa gestum est, ratum non habebit, l. 1. ff. Quod met. caus.* ut adeò Titius ad rei suæ venditionem vel ad pignoris aut syngraphæ redditionem mortis aut alterius mali gravè intentati metu coactus, proposita in iudicio *Quod metu causa Actio*, petere valeat; ut Caius emptor recepto pretio rē ex venditione sibi traditam restituat, vel pignus aut syngrapham reddat, vel debitum solvat, *arg. l. Illud 10. ff. Rubr. cit. Quam Actio*, *Æquitatē* secutus Prætor, ei dedit; quòd, licet in venditionem & pignoris vel syngraphæ redditionem consenserit, id tamen mali intentati metu fecerit, non facturus, si malum illud intentatum non fuisset. Cujus ulterior ratio est; quòd ab alio per injuriam incussus metus hunc passio, cum sit innocens, damno, illumque inferenti, cum nocens sit, sua temeritas lucro non debeat esse.

Rescissò autem contractu res, quæ metu extorta fuit, restituenda est cum omnibus fructibus, non solum perceptis à metu inferente, sed & iis, quos illum passus erat percipiturus vel percipere potuisset, si res metu extorta non fuisset, *l. Sed & partus 12. pr. ff. Rubr. cit. in i. simili Lib. 2. tit. 13. à n. 70.* dicitur Rationem Bruneman. in *l. cit. n. 1.* reddidit quia metum passus restituendus est in integrum, *l. Non interest 5. in fine C. De lib. qua vi metusve, sive in eum statum, in quo fuisset, si metum passus non esset; quod non fieret, si cum perceptis non etiam percipiendi fructus restitueretur,* *Glossa*



Glossa in c. Auditis 3. V. Contra reliquam  
Zoclius in ff. Rubr. cit. n. 29.

55. Deinde eadem Actio datur non solum adversus eum, qui metum intulit, sed & adversus eum, ad quem metu extorta pervenerunt, licet ipse metum non intulerit: dummodo doceatur metum fuisse incussum, remque illò incusso extortam pervenisse & existere penes eum, qui convenitur, l. Non interest cit. & l. Item si 14. §. 3. ff. Rubr. cit. quia Equitas naturalis non patitur, ut quis ex qualicunque etiam alieno crimine lucretur.

Neque in contrarium facit; quod Actio hæc descendat ex obligatione inducta delicto concussionis seu coactionis, sitque Personalis; ac proinde personam ex delicto obligatam, non rem istiusque possessorem sequatur; quia Personalis quidem, sed in rem scripta Actio est, datûrque contra eos omnes, qui rem extantem possident, atque ita ex metu ab aliis incusso lucrum facere volunt, l. Metum 9. §. fin. ff. Rubr. cit. quâ ratione, licet ab Actionis Personalis natura non nihil recedat, non tamen propterea desinit esse Personalis; cum descendat ex obligatione, ortâ ex delicto, Wesenbec. in ff. Rubr. cit. n. 4.

96. Quod si is, à quo res metu extorta, vel is, in quem ab eo translata est, Quod metus causa Actione propositâ intra annum utilem, conventus & à iudice iustus sententiæ pareat, remque cum fructibus restituat, poenam evitabit. Si verò iudici non pareat, sitque in mora restituendi, accusatâ ejus contumaciâ in quadruplum, cui tamen simplum inest, condemnatur, cit. l. Item si §. 4. & §. Item actio 27. Instit. de Actionibus: quæ poena quadrupli non oritur immediatè ex illato metu, sed ex contumaciâ in iudicem, cujus arbitrio sive sententiæ reus non paruit. Post annum autem, sicut &

cessante contumaciâ intra annum, in simplum tantum condemnatur; cum sit Actio Penalîs Prætorîa: cujusmodi actiones annum non egrediuntur, pr. Instit. de Perpet. & temp. act. licet quoad simplum, tanquam rei Persecutoria, perpetuè comperat, Wesenbec. l. cit. n. 4. Zoclius in ff. Rubr. cit. n. 30. & Bruneman, in l. Item si cit. n. 9.

57. Demum, si vg. Titio metus à Caio incussus sit; ut vg. fundum vel equum non sibi, sed tertie personæ vg. Sempronio venderet ac traderet, Titio competit Actio duplex. Una Personalis, quâ Caium conveniat ad resarcitionem omnis damni, quod mali ab ipso sibi intentati metu est passus. Altera in rem scripta, quâ Sempronius, licet metum ipse non intulerit, conveniri potest, ut recepto pretiò fundum vel equum restituat, l. Item si cit. §. 5. Ratio est; quia, licet fundi vel equi venditi ac traditi dominium translato sit in emptorem, arg. l. Traditionibus 20. C. de Pactis, Edictio tamen Prætorianò metu extorta venditio, licet Jure valida sit, rata non habetur: sed ejus rescissio permîssa est; ut, sicut si contractus initus non fuisset, ex venditione tradita res restituenda sit ei, à quo metu, à quocunque incusso, extorta fuit, Glossa V. Coactus cit. Sanchez Lib. 4. de Matrim. disp. 8. n. 7. & Bruneman, in l. Item si cit. n. 13. id Jure Prætorio sic constitutum asserens; ne metum passo metus sit captiosus, id est; ne in ejus fraudem res venditione aliòve modò valeat alienari.

58. Porro, ut actus aliquis quasi metu extortus declaretur nullus, aut, si Jure validus est, iudicis autoritate rescindatur, metus non allegandus tantum, sed probandus etiam est ab allegante; quia ejus illatio quid facti & delictum est; factum autem, & præsertim delictum  
K k k k k commiss-



commisum, non præsumitur, sed probandum est, *l. In bello 12. §. 2. ff. de Capt. & postlim. §. 1. Merito §. 1. ff. pro Socio.*

99. Quomodo autem probari ab allegante valeat aut debeat, dissensio quædam est inter DD. Et Covarruvias quidem *p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 5. n. 10.* cum Innocentio *in c. Cum dilectus 6.* id totum committunt arbitrio iudicis, æstimantis, quâ ratione sit probandus: pro eâque Opinione sua allegant *l. Metus 3. ff. Ex quibus caus. major.* quâ Ulpianus, *Non sufficit*, inquit, *quolibet terrore abductum fuisse: sed hujus rei disquisitio iudicis est.* Eandem stabiliunt ratione; quod metus probandi ratio ullo Jure prodita non inveniatur; ac proinde relinquenda sit iudicis determinationi. Verum, quia alias quoque res complures probandi ratio, licet speciali Jure præscripta non sit, ab unius tamen iudicis arbitrio tota non pendet, non est, cur non idem statuatur de metu: & istius quidem qualitas, puta an justè vel injustè illatus, gravis aut levis sit, disquisitioni & dijudicationi ipsius iudicis, juxta *l. cit.* relinquatur, qualitatis autè probatio, an *vg. is*, qui metu dicitur coactus, inclusus carceri, corporis cruciatum passus vel atrocibus minis territus sit, legitimis, sive Jure proditis generalibus modis fiat.

80. Metu itaque contractum vel alium actum extortum, legitimè probari potest non solum per testes, deponentes eum extortum gravis ejusmodi aut similis mali comminatione & probabiliter securâ ejus illatione, nisi is intentantis voluntati fuisset obsecutus: sed etiam per indicia & conjecturas, ut cum recepta Glossa *in c. Cum dilectus cit. V. Merum* & Boërio *Decis. 10.* tradit Flamin. *de Resign. lib. 13. q. 1. n. 99.* & suadet ratio quia metus rarò palam, sed plerumque clam

solet inferri, Glossa *in l. Item §. 1. q. 3. V. Merum ff. hic*: ea autem, quæ clam & secretè fiunt, levioribus argumentis, & terè per indicia & conjecturas probari solent, Malcard. *de Probat. conclus. 1057. n. 4.* cujusmodi sunt; quod de cogendo ad contrahendum præcesserit tractatus, conventio, aut similes machinationes: vel, qui contraxit, in domo aliqua vel loco clauso fuerit detentus: quod post contractum fugerit, ne eum exqueretur: quod in contrahente post actum celebratum insolitus pallor vultus, vocis tremor & similia confternatæ mentis indicia sint observata &c. ex quibus legitimè plenèque probatis, & aliquando in semiplenæ probationis defectum accedente juramento, actum quasi metu extortum, iudex vel declarabit irritum vel rescindet, *cit. Menochius n. 2. & Malcardus Conclus. cit. à n. 44. & conclus. seq. à n. 8.*

Dubium est, an si duo testes metum incussum deponent, ipsis potius quam aliis saltem pluribus de metu non incussum testificantibus sit credendum; Illis enim potius quam his, licet milleni essent, credendum cum Innocentio *in c. Super hoc 5. de Renunciat. & Baldo in l. Observare 4. ff. de Offic. Proconsul. q. 13.* volunt Alciatus *de Præsumpt. Reg. 3. præf. 7. n. 5.* & alii congesti à Malcardo *de Probat. concl. 1058. n. 1.* Rationem dant; quod ex una, deponentes de libero ac spontaneo consensu testimonium perhibeant de actu interno, cognitio soli Deo: deponentes autem de consensu coacto testificentur de actibus externis scilicet de incarceratione; dura tractatione, minis, pravio tractatu & conventionem, de iis inferendis: qui actus sunt externi, subiecti humano sensui & cognitioni, juxta illud, *Homo videt ea quæ parent, Deus autem insuetur eorum.* Reg. cap.



Reg. cap. 16. v. 7. ex altera vero parte, fides habenda utique potius sit testimonio duorum omni exceptione majorum de re suæ cognitioni subiecta, quam aliis etiam plurimis de re humano sensui & cognitioni non subiecta, deponentibus.

Se, dut hoc ita sit, à mente tamen DD. citt. aliena non videtur hac in re distinctio; quantumvis enim duo deponentes de coactione seu violentia illata certò modò, ejusque illata loco & tempore, potiores ac præferendi sint aliis, qui actum omnino liberè ac sponte gestum deponunt; hoc enim deducta ratio evincit: casu tamen, quò coactionem certò modò, locò & tempore, quò alii duo affirmant, adhibitam, alii non solùm majori, sed pari etiam numero inficiantur, his potius, quàm illis fides habenda est; quia tali casu in utramque partem deponentes de re sensibus suis & cognitioni

subiecta restituantur; ac pròinde quoad hoc sunt pares: cæteris autem paribus fides habenda potius est iis, quorum depositiones excludunt delictum; quòd hoc in dubio non præsumatur, c. fin. de Præsumpt. & l. Merito § 1. ff. Pro socio, Decius in c. fin. de Appellat. n. 28. & Sanchez Lib. 4. disp. 27. n. 3.

Quin etiam de spontaneo potius quàm de coacto consensu deponentibus fides habetur, si illi coactum affirmantes metùs illati circumstantias nõ exprimant; ab iis autem, qui spontaneum fuisseasserunt, in eam rem allegentur actùs ita gesti circumstantia, & ex his orta verifimiliores præsumptiones & conjecturæ, ut cum cit. Decio n. 25. & Jalone in l. Interpositas 13. C. de Transact. n. 5. observant citt. Sanchez n. 2. & Mascard. n. 8. & 9.

62.



## TITVLVS XLI.

### De in integrum Restitutione.

**S**icut vim metumve passis, sic & Minoribus, Ecclesiis & quibusdam aliis, ob ætatis & iudicii imbecillitatem, administratorum negligentiam, absentiam, aut justum errorem &c. læsis succurritur extraordinariò remediò in integrum Restitutionis, c. 1. l. 1. Et. ff. hac Rubr.

#### ARTICVLVS I.

**De Natura hujus Restitutionis & Conditionibus ad eam Requisitis.**

#### SUMMARIUM.

1. Hujus Restitutionis definitio.
2. Conceditur ea adversus validum,
3. Aut dubii valoris actum:
4. Quò minor v.g. se læsum probat,
5. Suà, vel Curatoris culpà, aut negligentia:
6. Si tamen læso notabilis sit:
7. Non etiam si modica, aut minima sit:
8. Vel majus pretium post contractum offeratur.
9. Eà læsus in precio, hujus defectum,
10. Imò

Kkkkk 2